

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 12 (1898)

Artikel: De ordine charitatis mutuae
Autor: Jansen, J.L.
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-761846>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 02.04.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

DE ORDINE CHARITATIS MUTUAE.

· Expositio synthetica.

Auctore J. L. JANSEN C. SS. R.

1. Amor est quaedam actuosa convenientia voluntatis cum re. „Appetibile dat appetitui primo quidem quamdam coaptationem ad ipsum . . . prima immutatio appetitus ab appetibili vocatur amor.“ (S. Thom., S. th. I. II. qu. XXVII. art. II. c.)

2. Nomen autem „amoris“ uti communiter inter homines adhibetur, potest significare aut ipsum actum voluntatis, ab ipsa voluntate elicited, aut signa amoris seu actus a voluntate tantum imperatos, sive interiores (v. g. cogitationem de aliquo, orationem internam pro alio) sive exteriores (v. g. juvamen, elemosynam, salutationem).

3. Aliquis dicitur amare magis minusve unum prae altero duplici sensu aut modo, qui modi in eodem actu amoris aut inter se convenientes, aut inter se oppositi occurrere possunt. Etenim

a) diceris aliquid prae altero appetiatiue magis amare, quatenus uni objecto ita voluntate adhaeres, ut si nequeas utrumque simul habere, alterum dimitteres; sed si utrumque simul possides, potest fieri ut unum appetiatiue magis amans, tamen alteri de facto maiora signa amoris praebeas.

Hic amor appetiatiue s. haec appetiatio est solus ipse actus elicited amoris simpliciter, qui debetur bono ut tali. Nil refert, utrum actus merae complacentiae an desiderii sit; uterque est appetiatiuus amor.

b) diceris etiam aliquid prae altero intensiue magis amare; ipsa autem vox intensiue indicat hic iam non agi de actu amandi ab ipsa voluntate elicited, s. simpliciter sumpto, quatenus simplic. bonum respicit, sed sumpto secundum quid, i. e. in aliquo ejus effectu, qui effectus est 1. adhaesio firmior, i. e. quae ex se magis contrariis resistere potest (nil refert, quid de facto futurum sit), s. gradus altior; 2. prosecutio per actus imperatos, sive internos sive externos. Itaque diceris unum prae altero tantum intensiue magis amare, appetiatiue vero minus, prout ista adhaesio aut prosecutio erga unum maior est quam erga alterum, ita tamen, ut si alterum cum isto compossibile non esset, istud dimitteres; appetiatiue autem et simul intensiue magis unum prae altero amas, si non tantum in casu impossibilitatis alterum dimitteres, sed etiam actualis firmitas

adhaesionis s. gradus, et consequenter prosecutio per actus imperatos major erga unum sit.

4. Amare essentialiter respicit bonum; sola ratio amandi bonum est. Aliquid autem bonum est in quantum cum anima convenit, s. aliquatenus ei simile est; ideo relate ad animam omne ens habere potest rationem boni, quia anima est et ens est.

5. Ratio igitur amandi alium hominem amore simpliciter sumpto s. ratio amoris appetiatiivi, est alterius hominis esse quoddam quatenus hoc mihi, quatenus appetenti seu inclinato, simile est; aliis verbis: Ratio amandi est consociatio in participatione boni cuiusdam (uti quoad sensum habet s. Thom. II. II. qu. 26. art. IV. c.). Bonum autem, cuius aliquis particeps esse potest aut est illud, quo aliquis est simpliciter bonus, et haec est conjunctio cum Summo Bono per intellectum et voluntatem, quae est objectum rationis superioris; aut est bonum, cuius possessione aliquis fit bonus secundum quid, sive in aliquo ordine particulari, qui est objectum rationis inferioris; et hoc bonum est multiplex, juxta multipliciter rerum (v. g. artis, doctrinae, peritiae bellicae, divitiarum, cognationis etc.).

6. Ratio autem amoris non simpliciter dicti, seu aliquis intensio amoris, quae effectibus interioribus aut exterioribus se prodit, non est ipsum bonum quia tale; secus enim non esset differentia inter intensioem s. gradum amoris ipsamque appetiatiionem s. complacentiam.¹

Sed cum intensio sit modus (s. qualitas aut mensura) actionis ut talis (i. e. abstractione facta a formali ejus objecto), actio autem erga aliquem facienda aut omittenda mensuretur et reguletur relatione seu conjunctione, quae inter amantem et amatum est, quatenus ista relatio interpres naturalis est divinae Voluntatis s. Ordinationis, ideo ratio intensioem, s. ejus mensura moralis est ipsa conjunctio. Atque pro diversitate et arctitudine s. propinquitate conjunctionis, intensio amoris respiciet diversas species actionum et omissionum (v. g. orationem — instructionem — eleemosynam — auxilium in periculo corporis) et si in una specie plura objecta concurrunt, secundum arctiorem nexum facienda est praelatio (sic, ad minus in corporalibus: parentes per se prae aliis consanguineis).

¹ „Omnis actus oportet quod proportionetur et objecto et agenti. Sed ex objecto habet speciem, ex virtute autem agentis habet modum suae intensioem; sicut motus habet speciem ex termino ad quem est, sed intensioem velocitatis ex dispositione mobilis et virtute moventis. Sic ergo dilectio speciem habet ex objecto, sed intensioem habet ex parte ipsius diligentis.“ II. II. qu. XXVI. art. VII. c.

Hoc magis sic explicatur: Primaria unicuique rei haec statuta lex est, ut actionibus suis seipsam primo perficiat, et secundo tantum ea, quae aliquomodo secum connectuntur. Repugnat enim, ut aliquid sit magis propter aliud aequale quam propter se. Atque naturale est, ut id quod per conjunctionem fit quasi pars amantis, participet, pro gradu conjunctionis, illud ipsum quod amans sibi debet, i. e. conatum perficiendi, id quod cum intensione amoris synonymum est. Hoc etiam dicit S. Thomas: „Aliquid diligitur magis dupliciter: uno modo, quia habet rationem excellentioris boni, alio modo ratione majoris conjunctionis“. (l. c. art. XII. c.) Et art. XI. c. dixerat (quo sane artⁱ XIIⁱ verba explicantur): „Secundum rationem boni, quod est objectum dilectionis, magis sunt diligendi parentes quam uxor, quia diliguntur ratione principii et eminentioris cujusdam boni (= appetiative). Secundum autem rationem conjunctionis magis diligenda est uxor, quia uxor jungitur viro ut una caro existens. . . . Et ideo intensius diligitur uxor, sed major reverentia est parentibus exhibenda.“ Et art. XIII. c.: „Intensio dilectionis provenit ex parte subjecti diligentis.“¹

7. Hisce praemissis ponitur quaestio:

Uter mihi, ex regulis rectae rationis magis amandus est, ego an proximus?

Et si de duobus proximis agatur, uter magis?

8. Ut huic quaestioni respondeatur, prae oculis habendae sunt supradictae distinctiones ipsius amoris et rationum amandi. Appetitatio siquidem amoris tui in unaquaque sphaera boni in alio homine cogniti commensuranda erit gradui ipsius bonitatis perceptae; intensitas autem erit commensuranda diversitati graduum conjunctionis, qua alius homo, in singula conjunctionis sphaera, tecum constringitur.

9. Itaque: a) Si res in ordine universali consideremus, (ratione superiori), cujus principium s. ratio est Bonum simpliciter et absolute summum, appetiative debes magis, quam teipsum et quemcumque alium, amare illum, quem sanctiorem esse noveris, et inter plurimos sanctissimum, quisquis ille est. Quodsi nescias, quis sit sanctior, omnes aequaliter debes amare, te incluso (appetiative). Huc spectant verba S. Joannis a Cruce:

¹ Nota: Si dicit S. Th. subjectum diligens esse quasi normam intensitatis, non intendit dicere ipsum subjectum mere ut tale, sed subjectum quatenus initium s. principium conjunctionis, s. quatenus fundamentum relationis, quae relatio proprie, a Deo posita, divinae Voluntatis interpret naturalis est.

„Omnes homines aequaliter dilige; aequaliter omnium obliviscere, sive de proximis, sive de extraneis agatur. Si unum prae altero diligeres, errares vehementer.

Mensura charitatis tuae debet esse: amor Dei erga homines. Sed cum ille amore dignior sit, quem Deus magis diligit, tuto hoc discernere nequis, quia quis ceteros in amore Dei antecellat, cognoscere nequis.“ (Opera ed. gallica III. p. 302.)

Atque cum omnis homo semper vere sit subjectus ordini universali, hoc praeceptum absolute obligat, quicumque ordo particularis accedat.

b) Quodsi res ratione inferiori consideres, sive: si verseris in ordine particulari, cujus principium et mensura aliquod bonum particulare est et creatum, et quaeratur quis magis amandus appetiatiue sit v. g. inter artifices, inter belli duces, inter filios, fratres, iterum obvia responsio est: melior et optimus quisque in illo ordine.

Itaque, sanctissimum amabis super omnes simpliciter, etiam magis quam optimos belli duces, qui ipsi in arte militari multum praestant; optimum vero belli ducem amabis super omnes secundum quid. — Et cum, uti diximus, bonum particulare, quod principium ordinis particularis est, sit ratio et mensura amandi in illo ordine, ille magis in illo ordine appetiatiue amandus est, in quo illud bonum magis invenitur; v. g. quoad conjunctionem corporalem, per se magis amandus est pater quam mater, (S. Th. II. II. qu. 26. a. X.); magis pater quam filius (ibid. a. IX.), magis parentes quam uxor (ibid. a. XI.);¹ militi, ut tali, magis dux amandus est quam sodalis; filii per se et ut tales aequaliter, et plus quam ceteri domestici. Dico: per se „ut videlicet intelligatur esse quaesitum de patre in quantum est pater, an sit plus diligendus matre in quantum est mater. Potest enim in omnibus huiusmodi tanta esse distantia virtutis et malitiae, ut amicitia solvatur vel minuat. . . et ideo, ut Ambrosius dicit. . . Boni domestici sunt malis filiis praeponendi.“ (l. c. art. X. c.)

10. Quodsi quaeratur quomodo intensitas amoris moderanda sit inter te et proximum et proximos diversos, resumenda est distinctio in perfectionem, qua evadis bonus simpliciter, et perfectionem, qua evadis bonus secundum quid. Atque iterum prae oculis habendum, mensuram intensitatis esse relationem, qua aut ad te ipsum aut ad alia refereris, s. conjunctionem, quae tibi tecum aut cum aliis est, quae quidem relatio s. con-

¹ Intensive vero magis uxor quam parentes (ibid.). Conf. n. 10.

unctio divinae Voluntatis interpret est.¹ Prae oculis etiam habeatur, non adesse obligationem praelationis, ubi non est aliqua necessitas mea aut proximi, i. e. carentia boni debiti, quod ego ipsi (aut mihi) praestare possum. (Ideoque v. g. liber es, ut magis ores pro consanguineis aut pro confratribus spiritualibus, per se quidem; licet tamen et hic quaeri possit, quid magis conveniat; quod quidem ex regulis tradendis erit dirimendum.)

11. Ad priorem perfectionem (perfect. simpliciter), mihi adipiscendam obligor simpliciter, semper et absolute, vi relationis quam cum meo fine ultimo s. Summo Bono habeo. Itaque, si fiat comparatio inter me et proximum, debeo intensive me magis amare quam alium quemcumque, cum unusquisque sit secum ipso conjunctissimus. — Porro, repugnat, ut diximus, aliquid esse primario propter aliud aequale. Atque hoc significare puto istud Axioma: „Amor bene ordinatus incipit a semetipso“. Etiam verba Legis: Diliges proximum sicut teipsum, huc referri debere mihi videntur. Sic S. Theresia dicebat: „Domine, aliis plures quam mihi favores dona (i. e. gratias gratis datas, puta visiones, extases etc.); sed ferre non potero, quod alii ardentius te diligant quam ego, aut ardentius gloriam tuam quaerant.“ Et S. Thomas: „Deus diligitur ut principium boni, super quo fundatur dilectio charitatis; homo autem seipsum diligit ex charitate secundum rationem qua est particeps praedicti boni; proximus autem diligitur secundum rationem societatis in isto bono. Consociatio autem est ratio dilectionis secundum quamdam unionem in ordine ad Deum. Unde sicut unitas potior est, quam unio, ita quod homo ipse participet bonum divinum, est potior ratio diligendi quam quod alius associetur ipsi in hac participatione. Et ideo homo ex charitate debet magis seipsum diligere quam proximum, et hujus signum est, quod homo non debet subire aliquod malum peccati, quod contrariatur participationi beatitudinis, ut proximum liberet a peccato.“ (l. c. art. IV. c.) Et in resp. ad 1: „Dilectio charitatis non solum habet quantitatem ex parte objecti, quod est Deus, sed ex parte diligentis, qui est ipse homo charitatem habens, sicut et quantitas cujuslibet actionis dependet quodammodo ex ipso subjecto. Et ideo licet proximus melior sit Deo propinquior, quia tamen non est ita propinquus charitatem habenti, sicut ipse sibi, non sequitur quod magis debeat aliquis proximum quam seipsum diligere.“

¹ Haec vox „conjunctionis“ ponitur proprie pro „esse“ ejusque extensionibus.

Sed si de parte tui agitur, ut parte, aliter loquendum est. Simpliciter enim „plus debemus diligere proximum quam corpus proprium“, (l. c. art. V. c) aut manum vel pedem.

12. Sed relate ad perfectionem, qua evado bonus secundum quid, non mihi est obligatio eam mihi procurandi, nisi in quantum cum priori perfectione, vi circumstantiarum s. cursus humanae vitae, ligatur. Itaque in ordinibus particularibus, seu relate ad bona particularia licebit mihi alium intensius amare quam me; v. g. desiderare vel efficere ut alii sint doctiores, saniores, ditiores quam ego, imo vivant cum meae vitae dispendio, si honestum motivum, sive rationis inferioris sive superioris,¹ adsit. Sic licet militi aliquando se exponere morti pro belli duce, ut ipsum patriae servet, licet non necessarius omnino patriae sit; aut cuicumque homini (per se loquendo) propter vitam aeternam securius obtinendum, licet vitam dare pro alio. In hoc convenit, quod ait Dominus Noster: „Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam ponat quis pro amicis suis.“ — Sic S. Paulinus libertate se privavit pro filio viduae, atque exclamat: „Sibi habeant divitias suas divites, sibi regna sua reges; mihi divitiae et gloria et potestas Christus est“; atque unusquisque igitur de confratre quoad dona gratis data dicere potest: „Illum oportet crescere, me autem minui.“

13. Haec dicta sunt de intensitate majori minorive amoris si comparatio fiat inter te et proximum. — Sed quid, si fiat inter duos proximos? — Responsio juxta supradicta quaeri debet. — Vidimus criterium aut mensuram ac normam intensitatis debere esse conjunctionem amantis cum amato, (honestam utique) conjunctionem dico, quae cum in Deo ultimam rationem sui habeat, divinae voluntatis interpretis est. — Jamvero, sicut unumquodque ens eo quod proprium esse habet, sibimet proximum est seu maxime conjunctum, ita cum eo conjunguntur etiam ea, quae ipsius esse quasi profluvia sunt aut appendices, sive quasi ex ipsius esse resultant, (formaliter utique per relationes). Diximus autem, obligationem majoris minorive intensitatis esse mensurandam ex propinquitate amati ad amatum, sive ex arctitudine conjunctionis. — Sed si conjunctio est norma intensitatis, intensitas autem respiciat actiones ab amore imperatas, actiones autem objecta diversa, i. e. aut corporalia, aut spiritualia et haec omnia iterum multimoda, quaeritur quo-

¹ Motivo sane superioris rationis nititur S. Alph. scribens ad confratres suos 8. Aug. 1754: „Paratus sum pro singulis vobis sanguinem et vitam dare; vestrum enim omnium, qui juniores estis, vita multum gloriae Dei dilatandae conferre potest.“

modo in ista intensitatis diversitate actionum species eligendae sint. Responsio in promptu est: cum norma et mensura agendi sit relatio s. conjunctio, haec autem tota essentialiter a fundamento suo dependeat, quod aut corporale, aut spirituale etc. esse potest, — liquet species actionum obligatarum convenire debere cum isto conjunctionis s. relationis principio, ita ut vi relationis spiritualis debeas spiritualia signa amoris; vi relationis corporalis, corporalia adjumenta. — Alii autem homines possunt conjuncti esse cum nostra persona aut quatenus pertinent ad corpus nostrum, aut ad animam nostram, aut ad utrumque simul. Ad primos pertinent consanguinei et affines quatenus in amicorum numero non computantur, conjunctio enim cum illis per se mere in sanguinis corporisve communicatione consistit. — Ad hanc speciem reduci possunt relationes, quae oriuntur libera voluntate ad obtinenda bona temporalia; tales sunt consortia civium, commilitonum, sociorum mercaturae etc. — Ad secundam pertinent amici (in statu religioso speciatim confratres). — Ad tertiam maxime parentes et liberi et conjux et isti consanguinei affinesque, qui cum sanguinis communionem etiam animi s. amicitiae communionem habent. — Hasce varias communionem expressas videmus, cum dicitur: „Hoc nunc os de ossibus meis et caro de carne mea. — Quamobrem relinquet homo patrem suum et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una.“ (Gen. II. 23.) Cui Salvator noster addit: „Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.“ Huc spectant etiam verba Judae de Joseph: „Frater enim et caro nostra est.“ (Gen. XXXVII. 27.) Et Laban ad Jacob: „Os meum es et caro mea.“ (Gen. XXIX. 14); et I. Reg. XVIII. 1: „Anima Jonathae conglutinata est animae David“ —; et istud S. Augustini: „Dimidium animae meae.“

14. Itaque, ubicunque occurrit aliquis nexus, quo aliquis homo fit tanquam appendix tui, tecum aliquod totum constituens, tibi etiam obligatio incumbit eum perficiendi quatenus positive imperfectus est, i. e. ipsi necessaria procurandi quatenus eis caret; et quidem in eo genere rerum, vi cujus ipse nexus consistit. Dicendum igitur, quod si complures proximi vi ejusdem nexus ad te referantur, ceteris paribus aequali intensitate sint amandi, ut v. g. filii, confratres; sed si in uno magis reperiatur iste nexus quam in altero, isti debetur major intensitas; sic v. g. magis intensive diligendi sunt confratres ejusdem provinciae aut monasterii quam alterius (per se saltem, et ceteris paribus). — Atque si nexus est carnalis, debes magis corporalia s. materialia signa amoris et adjumenta: Itaque

pauperi necessitatem majorem patienti, ceteris paribus magis succurrendum est quam minus indigenti. Et si de extrema necessitate vitae agatur „omnibus praeferendi sunt parentes“ ait S. Alphonsus, etiam prae uxore et filiis, cum erga illos accedat specialis nexus gratitudinis propter vitam receptam et educationem. „Sed in gravi necessitate“, idem S. Doctor pergit, primum succurrendum est conjugii, secundo filiis, tertio parentibus, sed patri prae matre, quarto fratribus et sororibus, quinto consanguineis, sexto domesticis.“ (Homo Apost. tr. IV. c. II. n. 15.)¹ — Spiritualia autem debes magis iis, quibuscum spiritualiter magis conjunctus es. Itaque in necessitate gravi sed pari, primo loco haec debes parentibus, ceteris paribus; postea filiis et uxori, tandem amicis (confratribus). „Est . . . ordo naturae, S. Thomas ait II. II. qu. 31. art. 3, ut unumquodque agens naturale prius et magis suam effundat actionem ad ea, quae sunt sibi magis propinqua . . . et ideo oportet quod ad magis propinquos simus magis benefici. Sed propinquitas unius hominis ad alium potest attendi secundum diversa, in quibus sibi ad invicem homines communicant, ut consanguinei in naturali communicatione, concives in civili, fideles in spirituali. . . . Et secundum diversas conjunctiones sunt diversimodo diversa beneficia dispensanda, nam unicuique est magis exhibendum beneficium pertinens ad illam rem secundum quam est magis nobis conjunctus, simpliciter loquendo. Tamen hoc potest variari secundum diversitatem locorum et temporum et negotiorum. Nam in aliquo casu est magis subveniendum extraneo, puta si sit in extrema necessitate, quam etiam patri non tantam necessitatem patienti.“ Ex responsis ad objecta in eodem art. haec excerpo: „Magis conjunctis magis est, ceteris paribus, benefaciendum. Si autem duorum unus est magis conjunctus et alter magis indigens, non potest universali regula determinari cui sit magis subveniendum, quia sunt diversi gradus et indigentiae et propinquitatis; sed hoc requirit prudentis iudicium.“ (ad 1.) — Porro: „Bonum multorum commune divinius est quam bonum unius. Unde pro bono communi reipublicae vel spirituali vel temporali, virtuosum est quod aliquis etiam propriam vitam exponat periculo. Et ideo cum communicatio in bellicis actibus ordinetur ad conservationem reipublicae, in hoc miles impendens commilitoni auxilium, non impendit ei tanq. privatae personae, sed sicut totam rempublicam adjuvans; et ideo non est mirum, quod in hoc praefertur extraneus conjuncto secundum

¹ Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior I. Tim. c. V. v. 8. Et Galat. c. V. v. 10: Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.

carnem.“ (ad 2.) Et objectioni „quod benefactoribus magis sit benefaciendum quam propinquis, quia debitum sit quod aliquis impendat beneficia ei, a quo accepit“, respondet: debitum istud intelligi debere, quod sit strictae justitiae; „et quantum ad hoc debet homo prius reddere debitum quam ex eo benefacere conjunctis“, (casibus quidem excipiendis exceptis); „aliud autem est debitum, quod computatur in bonis ejus qui debet et non ejus cui debetur; puta si debeatur . . . ex quodam morali aequitate, ut contingit in beneficiis gratis susceptis. Nullius autem benefactoris beneficium est tantum sicut parentum, et ideo parentes in recompensandis beneficiis sunt omnibus aliis praeferendi, nisi necessitas ex alia parte praeponderaret, vel alia conditio, puta communis utilitas Ecclesiae vel reipublicae. In aliis autem est aestimatio habenda et conjunctionis et beneficii suscepti; quae similiter non potest communi regula determinari“. (ad 3.) Et ad 4: „Dicendum, quod parentes sunt sicut superiores, et ideo amor parentum est ad benefaciendum, amor autem filiorum ad honorandum parentes; et tamen in necessitatis extremae articulo magis liceret deserere filios quam parentes, quos nullo modo deserere licet propter obligationem beneficiorum susceptorum, ut patet per Philosophum.“ (Hoc ultimum etiam dicit qu. 26. art. IX. ad 3.) Porro qu. XXXII. art. IX, quaestioni: „Utrum propinquioribus sit magis eleemosyna danda“ respondet primum cum S. Aug. affirmative; addit autem: „Est tamen circa hoc discretionis ratio adhibenda, secundum differentiam conjunctionis, et sanctitatis et utilitatis. Nam multo sanctiori magis indigentiam patienti et magis utili ad commune bonum est magis eleemosyna danda quam personae propinquiori, maxime si non sit multum conjuncta, cujus cura specialis nobis non immineat, et si magnam necessitatem non patiatur.“

15. Sic v. g. instructionem asceticam per se magis debeo confratri quam consanguineo; sustentationem temporalem, ceteris paribus, magis consanguineo quam confratri.¹ Sed si iste consanguineus curae meae spirituali se peculiariter commisisset, magis iterum ipsi instructionem asceticam deberem. Porro ceteris paribus magis consanguinei et adhuc magis parentum debeo vitae providere et vitam servare quam confratris; et etiam parentum aut filii magis quam superioris spiritualis (nisi v. g. hic Superior esset necessarius aut maxime utilis Ecclesiae aut reipublicae).

¹ Ita vidimus S. Alph. tempore quo congregatio sua indigentia laborabat, pinguem tamen haereditatem avunculi sui Cavalieri integram cessisse fratri suo Herculi, ut hujus rem familiarem in pristinum statum restitueret.

Et si confrater mihi antea vitam servasset, novaque igitur relatio (gratitudinis) erga ipsum in me oriretur, ego, casu quo alterutrum tantum a morte liberare possem, deberem per se confratrem praeferre consanguineo ordinario.¹

16. Adverte porro hunc nexum, divinae Voluntatis interpretem, non tantum esse posse naturalem, sed etiam ex positiva lege oriri. Ita v. g. vi destinationis a fundatore suo sibi datae ordo religiosus missionariorum in intensitate (non utique in appretiatione) suae charitatis praeferre debet peccatores convertendos; ad hoc enim missus est; licet in se perfectius sit curam impendere animabus perfectis adhuc magis perficiendis, ut Salmanticenses aiunt.

17. Haec omnia iterum illustrantur Angelici verbis. Quaest. XXVI. art. VI. docet unum proximum magis diligendum esse quam alium; atque ipsum hic loqui de intensitate amoris patet ex resp. ad 1., ubi concedit aequalem debere esse amorem ex parte objecti; sed „alio modo, ait, dicitur major dilectio propter intensiorem actum dilectionis et sic non oportet omnes aequaliter diligere.“ Itaque in corp. articuli, postquam irrationabiles de hac re opiniones amovit, ait: „Etiam secundum affectum [= intensitatem affectus] oportet magis unum proximorum quam alium diligere. Et ratio est, quia cum principium dilectionis sit Deus et ipse diligens [= quatenus hic (diligens) in se continet fundamentum relationis, vi cuius ad alium refertur s. cum alio conjungitur in ordine spirituali, aut corporali aut sociali] necesse est quod secundum propinquitatem majorem ad alterum istorum principiorum major sit dilectionis affectus [= intensitas]. Sicut enim supra dictum est (art. I.) in omnibus in quibus invenitur aliquod principium, ordo attenditur secundum comparisonem ad illud principium.“ — Hic S. Thomas tantum loquitur de intensitate interni affectus majore minoreve. De hoc etiam loquitur art. VII. c. „Dilectio speciem habet ex objecto, sed intensionem habet ex parte ipsius diligentis.“ [= objectum est mensura appretiationis; ipse diligens, in quantum conjunctionis initium, est mensura intensitatis.]² . . . Intensio dilectionis est atten-

¹ Art. XII. qu. 26 S. Thomas dicit „quod magis sit amandus beneficiatus quam benefactor“, — omnino juxta ea, quae diximus. Ceteris paribus utique; etenim: „nec tamen oportet quod quoslibet beneficiatos plus diligamus quibuslibet benefactoribus. Benefactores enim a quibus maxima beneficia recepimus, scil. Deum et parentes, praeferimus his, quibus aliqua minora beneficia impendimus“. Art. cit. ad 3.

² Illud S. Thomae: „ut ei, qui est Deo propinquior majus bonum

denda per comparisonem ad ipsum hominem, qui diligit; et secundum hoc illos, qui sunt sibi propinquiore, intensiori affectu diligit homo ad illud bonum ad quod eos diligit (= vi nexus, in quo debitum amandi fundatur), quam meliores ad majus bonum.“ Ulterius autem addit: „Ad eos qui non sunt nobis conjuncti [intellige: non specialiter conjuncti] non habemus nisi amicitiam charitatis; ad eos vero, qui sunt nobis conjuncti [= intellige: tanq. frater, aut pater, aut affinis, aut concivis, aut commilito] habemus aliquas alias amicitias secundum modum conjunctionis eorum ad nos.“ Haec verba notentur, antequam audiamus S. Thomam resolventem quaest. circa intensitatem amoris, quatenus se actibus exterioribus monstrat. Hanc quaestionem spectat quaestionis citatae art. VII. S. Thomae, qui inscribitur: „Utrum sit magis diligendus ille, qui nobis est magis conjunctus secundum carnalem originem.“ Quaestionem et responsionem intensitatem spectare ex eo patet quod nituntur conjunctione; hic autem iterum repetit: „Intensio dilectionis est ex conjunctione dilecti ad diligentem.“ (art. VIII. c.) Sed statim addit: „Et ideo diversorum dilectio est mensuranda secundum diversam rationem conjunctionis, ut sc. unusquisque diligatur magis in eo, quod pertinet ad illam conjunctionem, secundum quam diligitur. Et ulterius comparanda est dilectio dilectioni secundum comparisonem conjunctionis ad conjunctionem. Sic ergo dicendum est, quod amicitia consanguineorum fundatur in conjunctione naturalis originis, amicitia autem concivium in communicatione civili, et amicitia commilitantium in communicatione bellica. Et ideo in his quae pertinent ad naturam, plus debemus diligere consanguineos; in his autem quae pertinent ad civilem conversationem plus debemus diligere concives, et in bellicis plus commilitones. Unde et Philosophus dicit in 9. Ethic. cap. 2. quod singulis propria et congruentia sunt attribuenda. Sic autem et facere videntur; ad nuptias enim vocant cognatos. . . .“ Postea S. Thomas respondet objectionibus; primum quoad amicos et respondet plene juxta ea, quae supra exposuimus: „Dicendum quod quia amicitia sociorum propria electione contrahitur, in his quae sub nostra electione cadunt, puta in agendis, praeponderat haec dilectio dilectioni consanguineorum, ut sc. magis cum iis consentiamus in agendis. Amicitia tamen consanguineorum . . . praevalet in his, quae ad naturam spectant; unde magis eis tenemur in provi-

ex charitate velimus“ (l. c.) significare puto: „magis in eo complacentiam habeamus“; — quod ex sequent. patet.

sione necessariorum.“ In art. IX. postquam dixit hominem debere magis amare parentes quam filios, iterum addit: „Filiis autem magis debetur cura provisionis“ (ad 1), et „in articulo necessitatis filius obligatus [est] ex beneficiis susceptis, ut parentibus maxime provideat“. (ad 3.) — Altera autem objectio in art. VIII. erant verba S. Ambrosii, omnino similia his, quae S. Alphonsus ad Congregatos suos scripsit: „Scitote, vos singulos post Deum unicum affectionis meae objectum esse“ (Litt. circ. 8. Aug. 1754) et in eadem epistola: „Deus scit, quam singuli mihi cariores sitis quam frater meus et mater mea“ et in Circ. 4. Nov. 1775: „majoris vos facio, quam omnes parentes meos.“ Respondet S. Thomas: „Ambrosius loquitur de dilectione quantum ad beneficia, quae pertinent ad communicationem gratiae, sc. de instructione morum. In hoc enim magis debet homo subvenire filiis spiritualibus . . . quam filiis corporalibus, quibus tenetur magis providere in corporalibus subsidiis.“ (ad 2.) In hunc sensum S. Alph. l. c. pergit: „Certi estote, me cuncta relinquere, cum de consolando confratre et filio meo agitur. Magis mihi cordi est unum ex filiis meis adjuvare, quam quodcunque aliud bonum perficere; hoc quidem paternum a me juvamen tunc Deus magis requirit, quam quodlibet aliud, cum patris erga vos officium geram.“

18. In coelo manebit ordo charitatis; et quidem quoad appropriationem, sive, ut S. Th. ait „secundum differentiam boni quam quis alii exoptat“¹ „plus diligit meliores quam seipsum, minus vero minus bonos.“ (art. XIII, c.) Sed „secundum intensiorem dilectionis“ . . . „aliquis plus seipsum diligit quam proximum etiam meliorem, quia intensio actus dilectionis provenit ex parte subjecti diligentis. . . . Sed quantum ad ordinem proximorum ad invicem, simpliciter quis magis diligit meliorem, secundum charitatis amorem. Tota enim vita beata consistit in ordinatione mentis ad Deum; unde totus ordo dilectionis beatorum observabitur per comparisonem ad Deum. . . . Cessabit enim tunc provisio, quae est in praesenti vita necessaria, qua necesse est ut unusquisque magis sibi conjuncto secundum quamcumque necessitudinem provideat magis quam alieno, ratione cujus in hac vita ex ipsa inclinatione charitatis homo plus diligit magis sibi conjunctum. . . . Continget tamen in patria, quod aliquis sibi conjunctum pluribus modis diligit; non enim cessabunt ab animo beati honestae dilectionis causae. Tamen omnibus his

¹ Illud exoptat intelligit: quatenus est dandum a Deo remuneratore; uti notavimus p. 342. nota 2; itaque est actus complacentiae.

rationibus praefertur incomparabiliter ratio dilectionis, quae sumitur ex propinquitate ad Deum.“ (ibid. art. XIII. c.) Beati semper aut quasi semper res ratione superiore considerant; et intensitas amoris pari passu appretiationem sequitur: quod sane summi ordinis imago est.



LITTERARISCHE BESPRECHUNGEN.

Die geistige Bewegung im Anschluß an die Thomas-Encyklika Leos XIII. v. 4. August 1879. Von Dr. P. *Th. M. Wehofer*, O. Praed., Professor am Collegium Divi Thomae de Urbe in Rom. Wien 1897, Selbstverlag der Leo-Gesellschaft. 8^o. S. 26.

Leo XIII. und der hl. Thomas von Aquin. Von P. Mag. *J. V. de Groot*, O. Praed., Professor der thomistischen Philosophie an der Universität Amsterdam. Autorisierte Übersetzung von Dr. B. J. Fufs. Regensburg 1897, Nationale Verlagsanstalt. 8^o. S. 67.

Beide Schriftchen behandeln die thomistische Bewegung. Das erste ist eine Abhandlung aus dem Jahrbuch der sehr rührigen Leo-Gesellschaft und Abdruck eines vor Mitgliedern dieser Gesellschaft gehaltenen Vortrags. Die Einleitung verbreitet sich kurz über Ziel und Beweggründe des päpstlichen Rundschreibens, sowie über die praktische Durchführung der dargelegten Ideen. Die Ausführung selbst handelt von den schönen Erfolgen, von der Wirkung der päpstlichen Mahnungen. Wir können sie füglich einen kleinen geschichtlichen Beitrag zur thomistischen Philosophie nennen. Vorbereitet war die thomistische Bewegung durch Männer wie Sanseverino, P. Liberatore S. J., P. Zigliara O. Praed. in Italien; Balmes, P. Gonzalez O. Praed. in Spanien; P. Lacordaire O. Praed. in Frankreich; Plafsmann, von Schäßler, Stöckl in Deutschland u. a. Aber mit dem päpstlichen Rundschreiben nahm diese Bewegung einen mächtigen Aufschwung. Echt thomistische Werke mehrten sich. Thomistische Zeitschriften wurden gegründet; so der Divus Thomas, die Revue Thomiste, die Revue Neoscolastique, unser Jahrbuch u. a. Besonders werden rühmend hervorgehoben das Collegium D. Thomae de Urbe (die sogen. Minerva) in Rom, die katholische Universität Freiburg (Schweiz), die katholische Universität Löwen, die deutsche Hochburg des Thomismus in Eichstädt mit dem verdienten Dreiblatt Morgott-Schneid-Stöckl an der Spitze, die Thomistenschule zu Graz (Steiermark) im dortigen Dominikanerkloster. Vielerorts erstanden Thomasakademien, leider finden wir die rührige Luzerner (Schweiz) nicht erwähnt. Eingehender ist die verdiente Thätigkeit der Kardinäle Gonzalez und Zigliara dargestellt. Ehrend wird auch der Philosophia Lacensis und des Cursus philosophicus der deutschen Jesuiten gedacht. Selbst bei Nicht-Katholiken fand die thomistische Philosophie Anklang. So wurde P. de Groot O. Praed. angestellt, auf einstimmigen Vorschlag